

50
DISSERTATIO CCV.

*De Ortu Virginis: Quinam fuerint Parentes ejus?
Et an eam naturali modo conceperint? Ubi
fuerit in lucem edita? Et qua naturali
perfectione corpus ejus fuerit constitu-
tum? Et quæ illius animi dotes?*

Primo contra Beatissimæ Mariæ Virginis Sanctissimos Parentes male loquuti sunt posteriorum temporum Hæretici, de iisdem injuriose, sicut & de eorum filia scribentes; ut ex Canisio lib. 1. de B. Maria cap. 4., & lib. 4. cap. 7. narrat Suarez.

Secundo Gnostici circa Mariæ stirpem portentosum librum confixerunt, qui fuit a S. Epiphanio confutatus hæresi 26. Refert Baronius in Apparatu ad annales ecclesiasticos num. 35., & 39.

Tertio Collyridiani hæretici insanientes dixerunt, Mariam humanæ naturæ prorsus fuisse expertem. Horum hæresim impugnavit quoque Epiphanius hæresi 78., & 79.

Quarto Jacobus Hyacinthus Serry, Ordinis Prædicatorum, nuperus Scriptor Gallicus, contra quem nos egimus in peculiari Dissertatione de Natione Tortorum Christi, in exercitationibus historicis, criticis, polemicis de Christo, ejusque Virgine Matre exercitatione 18. num. 4. hæc habet: „ Dubia in primis, incertaque sunt quæ vulgo feruntur nomina Genitorum „ Deiparæ Virginis, Joachimus, & Anna „ Laudat hic Author in suæ imaginationis confirmationem eruditos Bollandi continuatores, nempe Henschenium, & Papebrochium, qui, ut ipse ait, Joachim, & Annæ nomina in dubio reliquerunt in actis ad diem 20. Martii. At, quod mirum est, adducit quoque suæ opinionis patronos Hieronymum, Augustinum, & Petrum Damiani; quorum testimonia in objectionibus adducemus; & in responsionibus ad easdem explicabimus.

Dicimus I. Beatissimæ Virginis Mariæ Patrem Joachim, & Matrem Annæ nomina habuisse.

I. Probat ex Epiphanio hæresi 79., qui agens adversus Collyridianos, qui asserbant, B. Virginem non habuisse nec Pa-

trem, nec matrem, & non humanæ, sed divinæ tantum naturæ fuisse, ita scribit: Genita est ab Anna, & ex Joachim donata est Anna; quæ & per preces, & omnem diligentiam, secundum promissionem Patri, a matri data est: non tamen aliter genita præter humanam naturam, sed sicut omnes ex semine viri, & utero mulieris. Tamen si enim historia Mariæ traditiones habent, quod dictum est Patri ipsius Joachim in deserto: Uxor tua concepit: tamen non quod sine conjugio hoc factum, neque sine semine viri, sed futurum Angelus missus prævaricatus est, ut neque hesitatio fieret propter id, quod in veritate factum est, & jam ex Deo ordinatum, & iusto promissum. Idem Epiphanius hæresi 78. loquens de Antidico-Marijanis, qui dicebant, B. Virginem cognitam non fuisse carnaliter a Sanctissimo Sponso Josepho, usque dum Christum Dominum pareret, scribit quoque, Mariam fuisse mulierem ex sua formatione, & natam ex matre Anna, & ex patre Joachim. Insuper idem Epiphanius in oratione, quam habuit de laudibus Mariæ Virginis, quæ extat tom. 7. Bibliothecæ sanctæ, & quæ refertur a Baronio in Apparatu num. 45., inquit: Hujus parentes fuerunt Joachim, & Anna, qui quidem in vita sua Deo placuerunt, atque etiam fructum hujusmodi germinarunt, sanctam Virginem Mariam, templum simul, & matrem Dei. Joachim porro, Anna, & Maria, hi tres Trinitati palam sacrificium laudis offerbant. Joachim enim interpretatur præparatio Domini, eo quod ex illo præparatum sit templum Domini, nempe Virgo. Anna rursus similiter gratia interpretatur, propterea quod Joachim, & Anna gratiam acceperunt, ut accedentibus precibus, talem fructum germinarent, sanctam Virginem adepti: Joachim siquidem precabatur in montem, Anna in horto suo. Anna vero gravida effecta, cælum, & thronum Cherubicum peperit, sanctam puellam Mariam. Illa enim